

rebrosi pituitosi humores illuc defluerint: quando quidem huiusmodi defluxionibus excrementa alui fluida redduntur: sed hanc ob causam hæc spumosa redduntur.

*¶ Quas sedes affectas, quosque affectus color ostendit.*

## CAP. X.

**A**D dijudicandas sedes malè affectas, & ipsos affectus non solum colorem cutis corporis, sed etiam excrementorum spectare conuenit. Cutis enim color, vel naturalis, vel vitiatus est: atq; ut ille humoris probitatem: ita & hic eius vitium indicat. Color namq; semper similis apparet redundantibus in corpore humoribus, nisi intus repentino motu aliquo animi recesserint, teste Galeno in commentarijs aphor. 2. sect. primæ. Quare qui in facie ægrotantis flauus est, is flauum significat icterum, qui viridis, eum arguit icterum, qui ex nigra & flaua bile constat: qui præterea rubor est, aut carnis, aut sanguinis, aut denique vtriusque simul plenitudinem significat. Qui quoque ex rubro & nigro constat, is eam elephantiasin ostendit, quæ ab humore melancholico originem habet. Talis enim humor, qui nihil aliud est, quàm sanguis niger, si refrigeretur elephantiasin gignit. Qui item